

Reverend/e et Ill/me Domine,

Non paucis ab annis, hujusce nostrae Diocesis Arelatensis, de beneficiis spiritualium inopia ac penuria condolebant, maxime, hujus nostrae civitatis Arelatensis, utpote in qua in defunctorum animarum animarum levamen ac refrigerium nulla sint altaria privilegiata. Nunc autem captata horum occasione oves mihi concreditas vestrae protectioni commendare et committere, non erubesco, sed obnixè deprecor, ut vestrae benevolentiae et favoris aura, privilegiatum aliquod altare, pro expiatione animarum in purgatorio existentium, a
10 Sua Sanctitate possint consequi pro ecclesia nostra parochiali dominae de Majori quam non minus populi assiduitate copiosam, quam insignem esse tum Capitulo, tum parochia, tum etiam reliquiis attestor. Nimium certe, in hujusce gratiae supplicatione me esse judico, at non satis vestrae pietati, ac animarum sublevationis desiderio
15 esse ingenue fatebor, quae quidem gratia me meosque et hoc praesertim capitulum tuos omnino faciet.

V/rae Rev/mae et Ill/mae Dnationis

Obsequentissimus et ad omnia addictissimus

20 Gasp. Arch. Arelat.

G. de Laurent

Datum Arelatis die decima mensis februarii millesimo secentesimo decimo quinto.

Arch. Vatic. Gesuit. 18 fol. 33. Orig.